

**05**

**A**

**440**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-637764-p0002-7

DFG

*Q. D.B.V.*  
*DISPUTATIO METAPHYSICA*  
*De*  
**ENTE IN PON-**  
**TENTIA**  
*Quam,*  
*Sub*  
**PRÆSIDIO**  
**M. CHRISTOPHORI**  
**SCHREIBERI**  
*Placido Eruditorum examini*  
*sistit*  
**JOHANNES RODTBERGIUS**  
Holsatus.

*In Auditorio Minori, Horis antemerid.  
Ad d. 4. Mensis Novembr.  
Anno 1663.*

WITTEBERGÆ,  
LITERIS HENCKELIANIS.

*J. M. Baldw.*



ОРИГИНАЛ

АГЕНТ

ІЯНОВІ

ІЯНОВІ



05 A 440

ДІЯНІЯ ТОВАРИСТВА

Історія

Історія України від часу заснування держави

до початку ХХ століття

Історія

Історія України від часу заснування держави

до початку ХХ століття

Історія України від часу заснування держави

до початку ХХ століття

Історія України від часу заснування держави

до початку ХХ століття

בָּנָה

## PRÆLOQVIUM.

Omnimissima est distinctio Entis in actu & Potentia tale, quam passim, & unanimiter quidem, Metaphysici proponere, at non uno modo exponere solent. Ad affectiones enim plurimi illorum, Viri sat graves, eam referunt: Alii verò, nec pauciores, distinctionem Entis nominalem faciunt. Quæ sententiarum varietas ex male intellecta objecti Metaphysici & ejusdem affectionum, potissimum Entis in potentia, veritate & natura ortum traxisse videtur. Sunt enim, qui Ens in potentia verum & propriè dictum Ens esse, & adeò sub objecto Metaphysicæ comprehendendi affirmant. Alii contra autoritate ac numero hisce non facilè cedentes constantissimè & ex rei veritate negant. Ita velle suum cuiq; est, nec Pers. Sat. s. voto vivitur uno. Hinc non facile cui in hoc sententiarum divortio as- sentiendum sit, constat. Cum autem veritatis pulchritudo nec multitudine audientium constipata, excludat venientes, nec umbra intercludatur, sed assidue quæsita aliquando prodeat, istius amore permoti, theoriam Entis in potentia sequentibus articulis proponere voluimus. Quod ut feliciter fiat, faxit DEUS noster gloriosus.

## ARTICULUS I. THEOREMATICUS.

### THESIS I.

Ens in potentia est, quod nondum existit, à virtute cause tamen produci non repugnat.

§. i. De Ente in potentia impræsentiarum acturi à descrip-  
tione rem ordimur. Quamvis enim τὸ An sit, τὸ Quid sit præce-  
dat, adeò, ut etiam quid sit querere, antequam an sit sciamus, nihil sit  
querere, rectè & eruditè B. J. Mart. dicente: Cum tamen quæstio Libr. s. Insti-  
an sit à nemine hactenus in dubium sit vocata, sed omnes fermè Log. c. i. p. 6  
hodienum Ens in potentia dari & verum esse habere, clament, à  
quæstione quid sit initium faciendum esse duximus. Ubi ante o-  
mnia notamus, nos saltem aliqualem Entis in potentia dedisse  
descriptionem, minimè verò perfectam definitionem. Non enim,

ut ex Averroë Cornel. Marini ait, omnium rerum debemus querere definitiones ad eundem modum, cum non omnia habeant genus & differentiam. Frustra quippe quereretur, quod ne sperandum quidem esset. Descriptionis ergo utimur vocabulo nō definitionis, partim propter termini hujus nimiam generalitatem, quā communī cum ceteris terminis Metaphysicis jure ac privilegio fruitur; partim etiam propter veræ, realis ac positivæ essentia in Ente potentiali carentiam ac negationem. Cum enim Ens in potentia vera, reali & positiva nondum gaudeat essentia, ad prædicamenta, rerum quippe, per genera, species & differentias dispositarum classes referri non poterit. Quod autem in prædicamento non est, propriè definiri non posse, omnes eruditii fatentur. Contenti itaque descriptione aliquali, diximus, quod Ens in potentia sit, quod nondum existit, à virtute tamen causæ produci non repugnat. Quam descriptionem ad uberiorem præsentis materiae evolutionem in Subiectum & Prædicatum resolvimus.

Subiectum.

Homonymia.

Synops. Met.  
ag. 229.

§. 2. *Subiectum* est *Ens in potentia*, terminus quidem nomine complexus, re tamen incomplexus, cuius notanda (l.) *Homonymia*. Vocabulum potentiae quippe sumitur vel strictè, pro solis qualitatibus in natura radicatis, quibus subiectum aptum est ad aliquid agendum, vel patiendum: Vel latè, sicque transcendentium terminorum ingreditur classem. Hinc communis potentiae distinctio in *prædicamentalem* & *transcendentalem*. Illa ad solam qualitatem pertinet, cuius secunda species; *Hæc* verò ex amplitudine nomen suum habens vicissim bifariam sumitur. Vel *negativè*, nihilque aliud est, quam nuda non repugnantia ad existendum. Vel *positivè*, sicque est aptitudo ad posse aliquid. Alias ita distinctio hæc efferti solet: Aliud est esse in potentia, aliud potentia ipsa. Quod enim in potentia est id nondum est, sed saltem esse potest: Sic rosa in hyeme dicitur in potentia esse, quia nondum est, sed aliquando (verno ac aestivo puta tempore) esse potest. Duplex ergo ei competit negatio, vera nempe essentiae (ait Frommius) quam nondum habet, quia nondum est, & post etiam repugnante, quia non repugnat existere. Potentia ipsa verò cum diciatur de re aliqua, jam datur in mundo ea res, quam afficit potentia, & per eam potentiam res habet aptitudinem ut possit aliquid. *Hæc* vero potentia, (sunt verba Excell. Geilfus.) *Ens intrinsece* quippe denominans

minans ab eo non differt realiter, sed est ipsum Ens ( fundamentaliter puta & realiter, quamvis non formaliter ) & cum actu coniuncta absolvit affectionem aliquam Entis disiectam , ita , ut recte dicatur Ens est vel Actus vel potentia. E dictis jam patet nos potentiaz vocabulum non ultimo modo accipere , & potentiam positivè sumptam , sed negativè sic dictam h. l. intelligere, prout nempe non opponitur actu , sed ei , quod actu est. Differunt namque actus & actu esse , sicut esse in potentia & potentia ipsa. Actu enim esse dicitur , quod extra nihilum est, & extra causas in rerum natura existit , sive illud è causis emergerit , sive nunquam in iis latuerit , ut Deus, homo &c. Actus autem est id secundum quod Ens ( quà actuale est ) absolvitur à potentia , ut plerique Autores describunt. Sic ergo Ens actu & actus ut subiectum & affectio distinguuntur. Recte in hanc rem Excell. Dn. D. Calov. ait. Distincta sunt esse actum vel potentiam & esse actu vel potentia. Illò denominatur Ens disiectivè , quà vel actuat , vel actuari potest. Hoc proponitur Entis diversus status , quò vel potestate est , ut possit existere , vel actu est , ut de facto existat. Haecenus ille , cum quo Excell. Schertzer. consentit Manual. Phil. quibus addantur ab eo ibidem citati autores. Notanda ( 2. ) *Synonymia Grammatica*, in qua termini æquivalentes exponuntur. Dicitur autem Ens in potentia alias Ens in potestate , Ens possibile , Ens potentiale , ens in potentia objectiva &c. Ens in potestate quando dicitur , potestas & potentia pro uno eodemque sumuntur , alias à potentia potestas sèpius differt : Potentia enim præcise significat vim ac potestatem aliquid agendi. Potestas autem licentiam & autoritatem. Sic homo sèpe vires & potentiam habet hoc vel illud agendi , at non statim potestatem & licentiam. Et contra sèpius potestatem , sed non potentiam , V. G. qui ab aliquo hostiliter invaditur , potestatem habet se defendere , & vim virere , ipsi tamen sèpius desunt vires , quò minus se tueri & hostibus resistere possit , hinc hosti fit præda suavissima. Quod discrimin etiam Gracis notum , qui potentiam δύναμεωςocabulo , εξστιας autem potestatem exprimit . Hinc illud Thucydidis Tñ δύναμις τελεί rekte vertitur , viribus primi , id est , potentissimi. Et ὁ δρός δύναμις supra vires significat. Item illud

Met. div. pag.

235.

pag. 296.

Synonym.

A 3

Arist.

*lib. 8. Ethicor.* Arist. εξεργάζεται κακού benè redditur, potestatem pugnandi facere, id est, permittere. Sic etiam quod apud Platonem legitur, εξεργάζεται πολεμοῦ do potestatem agendi & faciendi, id est, permitto facere. De quo plura apud Lexicographos. Porro *potentiale* dicitur in quantum significatur carentia actus: Possibile v. ut ait B. Scharff, in quantum significatur aptitudo accipiendi actum.

*Prædicatum.*

§. 3. De subiecto hactenus; *Prædicatum* nunc sequitur, quod sequentia exprimunt verba, quando dicimus; Ens in potentia est, quod nondum existit, à virtute tamen causæ produci non repugnat. Quæ descriptio in omnium ferme Metaphysicorum scriptis invenitur, nec ulla laborat difficultate, sed ut tritissima, ita intellectu quoque facillima est. Patet res ex exemplis: Homo v. g. post annos aliquot nascendus dicitur Ens in potentia, nondum enim existit, à virtute tamen causæ produci non repugnat: Hoc est, ut alii loquuntur, aliquando esse potest. Sic Nix tempore æstivo dicitur Ens in potentia, quia nondum est, sed esse potest, unde Græcis ἡ δύναμις esse dicitur.

## THESIS II.

*Ens in potentia* potissimum quadruplex est: Et dicitur aliud vel ratione *Creationis*, vel *generationis*, vel *emanationis*, vel *effectionis*.

*Met. div. p. 250.* §. 1. Traditur hæc distinctio ab Excell. D. Calov. quam & auctoritate & veritate constipatam meritò retinemus. Est autem fundamentum ejusdem ipsa rerum varietas, earundemq; diversus ortus. Non enim uno & eodem modo esse suum acceperunt & hodiendum accipere solent. Sed vel creatæ sunt, quæ ante sui creationem Entia possilia ratione *Creationis* fuerunt: vel generatæ h. e. generationi ortum debent, & hæ Entia potentialia ratione *generationis* dicendæ sunt, si ante sui generationem considerentur. Quædam emanant &c.

§. 2. Dicitur ergo Ens in potentia *ratione Creationis*, quod è nihilo virtute divina produci potest. Sic omnia creata, ante creationem sui, entia potentialia fuerunt; In nuda namq; potentia objectiva fuerūt. *Ratione generationis* autē illud dicitur in potentia, quod generari potest. Quod enim generandum adhuc est, id ante ge-

te generationem esse non habet. Quamvis enim causæ sufficienti virtute sint præditæ , ut possint hoc vel illud actuare , nullus tamen eas insequitur effectus , nisi actus accedit. Posito autem eo , potentia illa amplius nuda non est. Ratione emanationis accidentia dicuntur potentialia. Tandem Effectio[n]is ratione entia in potentia dicuntur omnia factibilia. De quibus videatur Excell. Dn. D. Calovius l.c.

## ARTICULUS II. PROBLEMATICUS.

1. An Ens in potentia sit verum ac propriè dictum Ens?

§. i. Hactenus quid Ens in potentia sit thetixw̄s diximus ; nunc idem problematiw̄s facere lubet. Quærimus ergo : An Ens in potentia verum Ens sit ? Cujus quæstionis negativam defensuri dicimus : Ens in potentia non est Ens propriè dictum. Probamus hanc assertionem nostram sequenti argu[m]ento à descriptione Entis desumpto: Cuicunq; non competit descrip[er]tio Entis propriè dicti , ei nec descriptum tribuendum. Atqui Enti in potentia non competit descrip[er]tio Entis veri ac propriè dicti E. Enti in potentia non competit descriptum. E. nec verum Ens erit. Veritas præmissæ prioris est manifesta: Procedit enim à definitione ad definitum. Minoris veritatem sic ostendo: Qu. non habet essentiam veram , realem & positivam ; illud non est Ens , illi nec descrip[er]tio Entis competit. Ens enim est quod essentiam habet realem & positivam &c. Jam verò Ens in potentia non habet essentiam veram &c. quod facile probari potest: Si enim Ens in potentia haberet essentiā verā &c. tunc (1) Existeret , quia habere essentiam , Esse & Existere Grammatica Synonyma sunt : Sicut enim Existere propriè significat rem quæ actu est , ita etiam habere essentiam : Nam non sine insigni contradictione aliquid dicetur habere essentiam , quod non habet esse , non existere . (2) posset operari , quia haberet in se principium operationum quod essentia omnium confessione est. (3) Admitteret affectiones , quæ Enti reali competunt. Hæc autem omnia de Ente in potentia minime dici possunt. Non enim 1. Existit , quod ex definitione ejusdem constat , & Adversariorum nemo hactenus ferè negavit. 2. Non potest operari. Quod enim nondum existit , qui operabitur ? Nec tandem 3. affectiones admittit ; quas tamen omnne Eos verum habet. V. C. Omne Ens ex Adversariorum propria confessione est vel causa vel causatum. Quorum tamen neutrūm

Man. Phil.  
part. 3. ap. 4.  
pag. 9.

Tractat. de O-  
rig. Form. pag.  
234.

trum de Ente in potentia dici poterit. Non enim est causa, quia non agit non causat, nec agere ac causare potest, cum nondum existat. Imò sic non esset & esset simul. Esset, quia ageret & ad esse causati influeret; Non esset, quia adhuc producendum esset. Nec causatum est, quia omnis effectus jamdum productus est, nec amplius in causis ut producendus hæret. Nam contradic̄tio est. Causatum esse & tamen in causis adhuc esse. Recte Excell. Scher-  
tzer. ait. O Ens verum ac reale, vel erit causa vel effectus, ut est notum. Ultrum verò horum, pergit, putabis esse Angelum nondum creatum? Causa esse nan potest, ea enim que non existunt quomodo agent aut pa-  
tientur? Effectum dicere si velis, queram, an Dei, an creature? Si crea-  
turæ vellem scire cuius? Si Dei, nescio quo pacto? Siquidem DEUS  
nullo modo in illum Angelum ( si nondum est creatus ) influxit. Si e-  
nim influxisset, illum sine dubio produxisset, si produxisset, creasset. Si  
creasset quomodo erit nondum creatus? Uno verbo: Angelus ille ante  
sui creationem, aut est productus, aut improductus. Si productus, ante  
sui creationem est creatus. Si improductus ante sui creationem erit  
Deus, post sui creationem incipiet esse creature. Quæ quomodo concilia-  
bis, mihi non liquet. Hactenus ille. Rectè, benè. Eadem etiam B.  
Sperling. suo Freitagio superioribus annis opposuit. Verba sunt  
hæc: Ens omne vel est causa, vel causatum seu effectus. Si effectus est  
( Ens sc. in potentia ) quomodo in causis? effectus enim est extra suas  
causas & nunquam ejus realitas in efficiente est. Si causa est, actus est:  
Et si actus est, in potentia non est: Et si in potentia non est, in causis non  
est. Et post pauca hisce concludit: Entia potentialia sunt non  
Entia.

§. 2. Confirmatâ jam nostrâ sententiâ, ad antithesin  
nos convertimus. Quamvis enim problematis negativa suffici-  
entissime hactenus à nobis sit probata, plurimos tamen inveni-  
re licet, qui contrarium tenent. E quorum numero sunt: Reiber:  
Margar. Philos. epit. Metaph. §. 53. Freitag. Disput. 3. contra  
Sperling. th. 146. Posner. disquisit. Metaph. 2. §. 4. pag. 15. Wat-  
son. Union. sap. Synops. Metaph. pag. 562. Quibus assentiuntur  
Senguerd. Id. Metap. part. general. c. 2. pag. 10. Burgersd. Instit.  
Metaph. l. 1. th. 6. pag. 13. Scheibl. 1. 1. Metaph. cap. 14. artic. 3.  
n. 95. pag. 176. Ebel. Colleg. Metaph. disput. 2. Sect. 1. pag. 22. Qui  
omnes realitatem Entis potentialis defendunt. Præsuppo-  
nunt

nunt autem horum plerique (1.) Essentiam & Existentiam non esse Grammatica Synonyma (2.) Quod Entia dupliciter essentiam habeant, alia in se, ut actualia, alia in causis suis, ut potentia- lia Entia. (3.) Quod Ens sit, cui non repugnat existere. Suppositis hisce, Ens in potentia habere essentiam dicunt, eamque non in se, sed in suis causis, sicque ei Entis descriptionem cum nostram, tum illam, quam ipsi afferunt, competere ajunt. Probata autem hoc modo ejus essentiâ, progrediuntur porro, atque Enti poten- tiali realia prædicata attribui posse affirmant ; Hinc quæsiti : Utrum Ens potentiale sit causa, an vero effectus ? Non sine insi- gni contradictione respondent effectum esse. Effectum autem in causis dupliciter dici posse, vel actu vel potentia. Tandem cum Ens potentiale sit verum Ens, veraq; habeat prædicata, etiâ præ- dicamentorum classibus includi & Dei cognitionem terminare posse statuunt. Quatuor ergo sunt, quæ in primis hic nobis opponunt. 1. quod ei competat descriptio Entis. 2. quod realia prædicata. 3. quod sit in prædicamento, & 4. cognitionem Dei terminet. Quibus de- nique 5. addi potest illud Posneri : Ens in potentia vel est Ens reale, vel rationis. At non est Ens rationis sic enim resurrectio mor- tuorum & judicium extremum essent figmenta. E. est Ens reale. De singulis in sequentibus.

§. 3. Antequam autem ad contrarias rationes respondeamus, prius despiciendum de iis erit, quæ præsupponebantur. Ita enim destructo fundamento, facilius, quod superstructum, di- rui poterit. Erat autem eorum primum : Essentiam & Existentiâ non esse terminos æqui pollentes. Verum argumentamur : Ex- istentia est transcendens E. vel erit affectio vel Synonymum Grammati- cum essentiæ seu Entis. Consequentia patet : Transcendens enim est prædicatum commune substantiæ & accidentis, ita explica- te Scheibl. At non est modus, quod pluribus B. Scharffius pro- Libr. i. Met. c. bat, & illorum plerique etiam concedunt. E. erit Synonymum, 15. art. 3. p. 179. quod erat probandum. Excipit hic quidem (1) Reyherus, Exi- Theor. Transc. stentiam esse essentiæ effectum : Verum male, cum omnis effectus disp. 6. th. 6. proprie dictus distinguatur à sua causa ut res à re. Tantum au- p. 266. tem abest, Existentiam ab essentia tanquam rem à re differre, ut potius sit ipsa realis & actualis essentia. Imò si existentia esset essen- Exercit. Met. tia effectus, in Deo quoque quidam effectus est, ait. CL. Casel. cum ei. 2. Cont. Reyh.

dem sine insigni impietate denegari nequeat. Consequens autem est absurdum E. & antecedens tale erit. (2) Alstedius, quod existentia creaturis saltem accidat h.e. accidentalis sit. Quæ quæstio diu à multis agitata: Nos autem antequam ad eam respondeamus, statum controversiæ formamus; Quæritur sc. hic (1) de creaturis prout vere & positive sunt in rerum natura. (2) quæritur an iis Existentialia competit (non per participationem & dependenter, quod facile concedimus, sic enim existentia non modo, sed ipsa etiam essentia participativè & dependenter illis competit; sed an) extra essentialiter & extrinsecè? & sic quæsumus negamus. Existentialia enim nihil est aliud, quam actualis creaturarum essentia; quæ iis sanè non extrinsecè, sed intrinsecè maximè competit. Omnis enim Creatura in quantum talis est, à suâ causa jam dum est producta. Si autem hoc, utique actualē habebit essentiam, contradictione enim est, creaturam (Ens creatum) esse nondum creatam. Quid verò actualis essentia aliud, quam Existentialia? Existentialia itaq; se ut actualis essentia habet. Huc faciunt ea, quæ supra laudatus habet Schertzerus. Existentialia, ait, ab essentia separabilis non est, nec esse potentia Ens, & esse actu Ens sunt entis affectiones disjunctæ. Omne Ens existit & vice versa. Idem vult' Mendoza, quando inter alia alicubi hæc profert: Essentia & Existentialia ratione distinguuntur: non tanquam duo conceptus, quorum alter sit extra alterum, sed tanquam idem conceptus à se ipso in diversa consideratione. Nec aliter B. Sperling. Tract. contra Freitag. statuit, quando ait: Juxta saniores Existentialia & Essentia realiter non differunt, sed sola ratione, quæ concipit essentiam &c. Secundum, quod presupponatur, erat: Quod alia Entia habeant essentiam suam in se, alia in suis causis. Illo modo actualia: Hoc verò potentia Entia. Verum malè vicissim supponitur, quod in controversia adhuc est: Quomodo enim aliquid Essentiam habere potest in causis? Respondent quidem eo modo, quod causæ sint sufficienti virtute præditæ, ut id, quod nunc in potentia est, actuare queant. Verum vitiosè à realitate virtutis productivæ, quæ datur in causa, ad realitatem ejus, quod à causa, illa demum est producendum, colligitur. Realitatem potentiarum quidem, ait B. noster Sperling. in causis deprehendimus, sed Entitatem Entis potentialis in causis reperire non possumus, nisi quis dare velit creature, natu.

Man. Phil.  
art. 1. p. 79.

Defens. tract.  
de Orig. form.  
i. 8. p. 246.

Tract. de Orig.  
form. p. 234.

naturata in naturis, & artificia in artificibus. Quæ omnia exemplum  
quodam Zabarella egregie declarat : Quando dicimus, inquit,  
mundum esse in potentia objectiva, si quid reale significamus, id non est  
nisi ipsa potentia objectiva Dei, ita ut dicere mundum fuisse tunc in po-  
tentia objectiva, nihil aliud significet, quam Deum habuisse tunc po-  
tentiam activam creandi mundum, potentia autem Dei Deus ipse est;  
igitur nihil reale respondet illi potentia nisi Deus ipse, cuius est poten-  
tia creativa; nihil ergo est potentia illa objectiva re distinctum à po-  
tentia activa. Quæ explicans & confirmans Excell. D. D. Calovi-  
us hisce tandem finit verbis : Remove causæ virtutem, Ens in poten-  
tia quid in se erit? Porro etiam tertium, quod præsupponebatur,  
falsissimum est. Male enim Ens describitur cui non repugnat existe-  
re. Ambigua enim illa descriptio & obscura nimis est ; Nam  
phrasis cui non repugnat existere, vel æquipollit huic : Ens est,  
cui non repugnat externum quippiam, ut existere posse, qua ratione  
Watson: eam intellexisse videtur (quamvis, ut puto, sensum e-  
jusdem non asscutus sit) quando dicit : Rosa est Ens, licet eire-  
pugnet frigus, quo minus in hyeme existat : Vel isti : Illud quod est, ei  
non repugnat existere : Vel tandem huic : Ens est, quod potest ali-  
quando existere. E quibus eligas quamcunque velis sententiam,  
neutrò tamen modo Entis propriè describes. Primo modo descri-  
ptionem si intelligas, rosa in hyeme non erit Ens, uti Watson.  
concludebat. Si secundo modo, vicissim Ens in potentia exclude-  
tur : Ens in potentia enim nondum est, ergo illi, quamdiu in sta-  
tu possibilitatis manet, repugnabit existere. Si tandem ultimo  
modo non solum Deum, sed etiam cætera Entia creata actualia  
absurde excludes. Sic ἐν τοῖς δόθει τὸν αὐλαίαν.  
Dato uno inconvenienti, alia sequuntur.

§. 3. Remotis jam iis, quæ maxime sententiæ nostræ obsta-  
re videbantur, ad rationes contrarias progredimur. Prima erat,  
Enti in potentia competere veram Entis descriptionem, cum  
habeat essentiam, (licet non in se, in suis tamen causis) eique  
non repugnet existere. Verum falsissima hæc esse ex præceden-  
tibus constat. Secunda : Enti potentiali tribui prædicata realia  
ac positiva. At nec realia prædicata realitatem Entis potentialis  
evincunt : Hæc enim Excell. Dn. D. Calov. ait, Veritatem attribu-

Libr. 2. de  
Mat. prim.  
c. 2.

Met. div. p.  
248.

Union. Sap.  
p. 562.

Met. div.  
p. 244.

tionis saltē poscunt, non vero effētus actualitatem inferunt. Tribui  
itaque ipsi Enti potentiali realia prædicata poslunt, sed quid in-  
de? Talia enim sunt prædicata qualia permittuntur esse à suis subje-  
ctis. Sit simile: Quemadmodum Logicus enunciationes format  
nullo habito respectu, an res, de quibus enunciationes formatæ,  
fuerint vel an demum futuræ sint, non tamen ideo istas res vult  
esse præsentes, sed enunciationem de futuro & præterito verifi-  
cari propter enunciationem de tempore præsenti, ait: Ita etiam  
Metaphysicus enti tribuit realia prædicata (præscindendo id ab  
actu & potentia) quæ nempe vele i, quod actu est, actu insunt;  
Vel illi, quod aliquando futurum est revera competent. *Tertia*  
adversariorum ratio erat hæc: Entia potentialia esse in prædica-  
mentis. Verum falsum vicissim est, entia potentialia, quatenus  
talia sunt, prædicamentorum includi classibus. Regeris: Entia  
sine Existentiæ mentione in prædicamentis pon. At Resp.  
quamvis ipsæ verum quidditates sine existentiæ mentione spe-  
ciatæ includantur prædicamentis, entia tamen potestative talia  
non contineantur. *Quarta* objectio erat: Entia potentialia ter-  
minare cognitionem Dei. Verum à terminatione cognitionis  
Dei ad esse reale illius, quod cognitionem terminat, vitiosa sit  
collectio. Nam ne quidem omnia, quæ hominum cognitionem  
terminant, statim esse reale habent. Prævidet Mathematicus sæ-  
pe eclipsin post multos annos demum venturam, neque tamen  
Eclipsis ideo est, antequam est. Similiter Medicus prævidet quan-  
doque sanitatem ægtotantis, ægrotans tamen ideo nondum  
pristinæ restitutus est valetudini. Quod si ergo non licet à ter-  
minatione cognitionis hominum argumentari ad realitatem  
cogniti, multò minus à cognitione Dei hoc facere licet, utpote  
quæ multis modis perfectior est. Circa quintam objectionem  
nota, quod termini Ens reale & rationis sumantur varie: Et qui-  
dem Ens reale dicitur vel propriè quod revera aliquid est, & es-  
sentiā habet partim extra intellectum ut Deus, Angelus &c.  
partim in intellectu ut habitus mentis. Vel minus propriè, quod  
nō fingitur: ut peccatū, morbi, cœcitas &c. Deinde Ens rationis  
quatuor dicitur modis: Vel Intransitivè, vel Effective, vel Subjective,  
vel Objective. Jam dicim⁹ Ens in potētia prout potentiale adhuc, &

non-



nondum in rerum naturâ est, ens reale priori modo dici non posse, ut ex hactenus disputatis patet. Etsi enim D. Scharff: ait, *Essentia creature dici soleat realis ante sui productionem, prout Ens in Theor. Transc. potentia dicitur Ens, tamen illa Essentia, non ita est realis, quasi pro-* p. 86.  
*prie per veram suam propriam realitatem sit realis, sed saltem ita dicatur in possibili realitate, quatenus fieri potest realis recipiendo determinatum entitatem veram à suis causis quando in actum producitur.* Nec posteriori modo Ens potentiale Reale appellare poteris, quia omnino fictum esse habet, sicut sc. esse, cum tamen nondum sit. Hinc *Mendoza*, referente Excell. Dn. D. Calov. de Ente in *Met. div. p. potentia*, dicit, dubitari adhuc posse, an ullum detur Ens, quod saltem sit potentia? Imo verò addit Excell. Dn. D. Calov. quod non amplius sit dubitandum Ens potentia vere esse non Ens, vel quæ dicta sunt, suadent. Ens rationis si dicere velis, non effective, nec subjective, sed commodissime objective, tale forte diceretur, qua ratione etiam negationes & privationes entia rationis dicuntur. Excipis: E. Resurrecio mortuorum & extremum judicium rationis sunt figmenta. Respondeo, Extremum judicium jam verum Ens esse omnino rationis tuæ est figmentum, quando autem venerit, Ens rationis non Esse, facile largior. Notandum tamen hoc loco est, quod membra distinctionum Entis nominalium non debeant confundi, nec enim hæc plane & prorsus eadem sunt, quod vel solum exemplum peccati præter alia demonstrat, quod omnino cum actu sit, actuale non tamen reale proprie dici meretur. Hinc etiam est, quod Metaph. objectum non solum actuale, sed Ens reale, positivum &c. dicatur.

## II. An Ens in potentia ad objectum Metaphysicæ pertineat? Rz.

§. 1. Negativa è præcedentibus patet: Quicquid enim verum Ens non est, id nec objectum Metaphysicæ esse potest. Hoc enim objecti disciplinatis natura requirit, ut sit (1) *Conceptus communis*, qui realiter & verè participatur ab iis, quæ sub eo comprehenduntur. (2) *Talis Conceptus communis*, qui etiam veras admittit affectiones, quæ vel strictè & propriè tales esse debent & accidentia (propria sc. non communia) vocantur. Vel

B 3

analo-

analogicè, quæ se habent tanquam proprietates subjecti naturam essentialiter consequentes. (3) qui per modos contrahi aptus est; Hinc à Gnostologis h.m. describi solet: Objectum est conceptus realis suis essentialibus constitutivis & modis contrahentibus affectus &c. Vid. Ex-cell. D. Calov. & CL. Mej. in Gnostol. Hæc autem omnia, cum de Ente in potentia & actuali dici nequeant, ad alicujus disciplinæ, & sic etiam Metaph. objectum horum prius referri nequit. Prius patet; Non enim potest abstrahi ab Ente actuali & potentiali talis conceptus, qui utriq; verè sit communis, cum Ens potentiale ad essentiā, quatenq; tale est, nō accedat, sed ab ea potius recedat, dum Entitatem nondum habet, sed saltem habere potest. Deinde nec Affectiones admittit, ut supra fuit probatum. Et tandem per modos contrahi non potest. Nec enim substantia est, quia sic per se subsisteret antequam in mundo esset. Nec accidens, quia hoc inexistit, quod autem inexistit, etiam existit. Ens autem in potentia non existit: Quomodo ergo, scire velim, inexistere dicetur? Respondet quidem Posnerus: *Ens in potentia* habet per se subsistere cum substantia est, habet inexistere cum accidens, sed utrumq; in potentia. Fortè ut Freitagius B. Sperling. olim respondebat, dicens: *Ens in potentia* est effectus in causis potentiarum, (hoc est, est effectus vel causatum in causis producibile. Uno verbo, Ens in potentia est productum producendum, Ens non-Ens) Sed largimur & cum Posnero dicimus: *Ens in potentia* habet per se subsistere, cum substantia est, habet inexistere cum accidens: At jamdum neutrum horum habet, E. etiam neutrum eorum erit, & vice versa.

§. 2. Contrariantur hic nobis omnes, quos §. 2. quæstionis præcedentis citavimus, qui sub objecto Metaphysicæ Ens in potentia, comprehendendi autumant. Fluxit autem error iste exinde, quod plerique illorum Ens hic nominaliter (quod illis est, prout ab existentia seu actu essendi præscindit) accipiendum esse statuant. Verum si ita *non* Ens nominaliter acceptum explicetur, male objectum Metaphysicæ constituitur, quod ex hac tenus disputatis fluit. Cum autem alii *non* nominaliter dicant idem esse, quod abstractivè, nos quidem cum illis loquimur, & h.m. Ens nominaliter sumptum Metaphysicæ facimus objectum, sentimus tamen cum Præceptoribus nostris, Ens in potentia ita non includi.

ARTI-



## ARTICULUS III.

## ATICUS.

## I. Res, antequam existit, nihil est.

§. 1. Probatur canon (1) ab absurdo, quia sic esset, antequam esset, quod contra omnium primum principium: *Impossibile est*, idem simile esse & non esse. (2) ab ipsius essentiae absentia. Res enim, antequam existit, essentiam non habet, cum existentia & essentia Grammatica Synonyma sint, ut B. Scharff. probat: Ubi cuncte autem adest existentia, ibi etiam essentia, & contra, ubi existentia abest, ibi nec vera essentia adest. (3) ab operationum realium carentia. Illi enim, quod nondum est, nequit adscribi operatio realis, ut Canon habet. Quicquid autem operari non potest, id neque Ens, sed nihil erit.

§. 2. Valet Canon (1) non de esse cognito, ita ut sensus regulæ sit: *Res antequam existit, cognosci non potest*. Sed de Essere reali ipsius Entis nondum existentis: Sic enim Canonis sensus est: res in se nihil est, hoc est, essentiam realem non habet, uti B. Scharff. ex Thomas eundem explicat. (2) de τῷ nihil accepto non privativè, h.e. prout Enti opponitur, ut tenebræ luci: sed negativè, prout aquipollit illi, quod nec esse habet, nec operari.

## II. Enti in potentia non repugnat tribuere praedicta realia.

§. 1. Probatur (1) à predicatorum illorum natura. Prædicata Probatio. enim illa non semper & præcisè essendi actualitatem inferunt, sed saltem attributionis veritatem significant. (2) ab Exemplis, v. gr. Rosa dicitur Ens, species &c. Nullo habito respectu, utrum jam sit in rerum natura, an vero non: Interim tamen propterea non actu esse infertur, etsi tali vel tali modo appelletur.

§. 2. Valet non solum (1) de predicatis extrinsecè denominantibus, quomodo de extremo judicio dicitur, quod sit credendum, de Eclipsi, quod sit præscita &c. Sed (2) etiam intrinsecè talibus. Sic judicium extremum dicitur terribile &c. Ubi tamen notandum, quod illi talia attribuantur vel sub notione futuri, h.e. in respectu

specu ad futuram & entiam : Qua ratione recte dicatur, Extremum judicium erit impiis terribile ; Vel in ordine ad præscientiam divinam : Vel si sub notione temporis presentis, ob non repugnantiam, ita tamen, ut non nisi de potentia intelligenda veniant. Hinc necesse est, ut copula Est identifice, cur tempori per prædicatum illato, ut Scherzer. l. c. ait.

TANTUM!  
SOLI DEO GLORIA!

**Q**ui facit Elle, Nihil, summi fabricator Olympi,  
Summum præ reliquis obtinet esse sibi,  
Quin, quòd sint, quòd & esse queant molimine causæ,  
Acceptum referant Entia cuncta DEO.

JOHANNES MEISNERUS D.

Ad præstantissimum Dn. Respondentem  
Amicum honorandum.

**P**AUCOS ante dies Logicō de themate verba  
Publica fecisti non sine laude tua.  
Conatum repetens, de themate nobiliore  
Jam Respondentis munera porrò subis.  
Hinc repeto votum, promittens præmia digna  
Hac olim tantâ sedulitate tua.

Raptim f.

CHRISTOPHORUS Mottnagel PP.

**N**uper contortos Logicæ dissolvere felix  
ROTBERGI, nodos, unica cura sedit.  
Nunc iterum læto concendis fronte Cathedram,  
Quidque sit Ens verum differis atque probas,  
Gratulor egregios ausus studiumque fidele,  
Quod foyeant semper præmia digna precor !

Ita Politissimo Dn. Respondenti secundo,  
grat.

GEORGII MEIER Lunæb. SS. Theol.  
Lic. Facult. Phil. Adj. & Eccl. Lunæb. Lamb.  
vocatus Pastor,

05 A 440

**ULB Halle**

004 208 897

3



10 M



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-637764-p0020-6

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

Centimetres  
Inches

B.V.  
ETAPHYSICA

IN POC-  
TIA

DIO  
TOPHORI  
IBERI

*rum examini*

DTBERGIUS

us.

*Horis antemerid.  
s Novembr.*

663°

ERGÆ,  
KELIANIS.

G.M. Baldwin